

causæ decisio pendeat, argumento dicti capituli 5. de eo, qui cognovit. Potiore jure puto non admitti eum, qui sponsalia executioni mandari postuler, dum aliàs non habet contractorum sponsalium apertas probationes, quam quas suo testimonio firmat; imò neque in hac re fieri potest locus jurjurando, quod suppletivum vocant, ubi probationes non satis per se idoneæ sunt ad instruendum judicis animum, etiam si aliàs semiplenæ dicantur, ne in re gravissima, & quæ semel inita dissolvi amplius nequit,

qualis est, conjugii celebratio, invitam sponsam ad conjugium trahere concedatur unius sponsi potissimum voluntati, quæ facillè ob ardens futurarum, quæ sperantur, nuptiarum desiderium eò rapiunt, quo minus sollicita sit de temeranda jurisjurandi sanctissima religione.

Ad ea, quæ hucusque tradita sunt, in nitidiorè adhuc luce collocanda, plurimum facere possunt quæstiones aliquot, quas separatim in hunc locum transtulimus dirimenda.

QUÆSTIO I.

An Sponsalia subsequente copula matrimonii jure habeantur.

Multum interest ad definiendam propositam quæstionem distinguere, an eadem exigenda sit ad juris communis ante Tridentini Concilii constitutiones. Quoties consistendum sit in veteribus Maximorum Pontificum decretalibus, eam jam definitivè videntur suis temporibus Innocentius III., & Gregorius IX. in cap. 15. 30., & 32. de sponsalib., quibus decernitur, secuta copula inter sponso, non jam meram sponsalium obligationem subsesse, sed verum contractum matrimonium intelligi, dummodò vera copula, non tantùm nisis in copulam intercesserit, dicto cap. 32. Nolim tamen ita quisquam hæc intelligat, quasi ex conjunctione illicita duorum vi sua matrimonium emergat, quod, uti suo loco dixi, non tam in conjunctione corporum, quam in præstita fide, seu mutua conjugum consensione consistit. Potius ita res sese habebit, ut præsumatur verus inter sponso interfuisse consensus de præsentì, statim ac ad ulteriora conjugii officia progressi sunt; atque hujus præsumptionis duo sunt gravissima argumenta, quorum

primum est contractus sponsalium præcedens, alterum copula subsequens; neque enim aliud censetur sponsi in subsequente copula voluisse, quam executioni demandare, quod in sponsalium contractu data fide sponderant, quæ sanè præsumpta matrimonium ante Concilium Tridentinum substinebantur. Reverà data fides sponsalium ad conjugium refertur, & in ea jam inest conjugii contrahendi voluntas. Hæc tamen nondum ideo conjugium dicitur, quia in futurum actum confertur, quando conjugium tantùm dicitur de præsentì. Intercedente sponso copula, sublata videtur factò contrahentium omni adjecti olim temporis mora. Quid igitur obest, quominus ea fides, conjugalis fidei jure censetur? Neque fortè audiendus esset sponso, si exciperet, se non animo conjugii eò devenisse, ut sponsa commisceretur; etenim hæc exceptio in judicio admittenda non esset, tanquam bonis moribus omninò repugnans. Hæc observatio non solum utilis est ad rectè percipiendam Decretalium disciplinam, verùm etiam in nonnullis provinciis adhuc necessaria est, nimirum in iis, in quibus

quibus Tridentina sanctio de clandestinis conjugii irritatis non est promulgata, & in quibus adhuc viget commune jus Decretalium. Quòd si ad sanctiones Tridentinas hæc disceptatio exigatur, quibus salubriter cautum est, ut conjugia minimè valeant, si præsentè Parocho, & testibus non sint celebrata, sess. 25. cap. 1. de Ref. matrim., sanè concludendum erit, post Tridentinum Concilium in iis locis, in quibus decretum illud promulgatum est, ea sponsalia nunquam matrimonii jure censi, quousque coram Parocho, & testibus sponsi consensum suum de matrimonio de præsentì contrahendo non explicent. Sunt qui adhuc putant, tunc contractum matrimonium dici posse, quando & Parocho, & testes præsentès in contractu sponsalium fuerint. Verùm id esse videtur contra expressum Tridentini Concilii decretum, quo de præsentia Parochi, & testium, dum matrimonium contraheretur, statutum fuit ad majorem rei gravissimæ gestæ solemnitatem; Parocho autem, & testes in proposito non de celebrato matrimonio, sed tantùm de celebratis sponsalibus testimonium ferre possent, quod satis esse celebrandis ritè conjugii hodie non videtur. Sunt præterea qui putant, adhuc disciplinam Decretalium vigere in ea specie, qua conjugium coram Parocho, & testibus celebratum esset ab impuberibus nondum celebrando conjugio idoneis, qui deinde post pubertatem copulam habuerint. Verùm & heic iterum circumvenitur mens Patrum Tridentinorum, qui dum statuerunt, conjugio contrahendo Paro-

chum & testes præsentès esse oportere, de eo conjugio locuti sunt, quod subsistere posset, non quod irritum ex defectu personarum diceretur; nisi forte ageretur de impuberibus, qui Parocho, & testes decepsissent, vel ex ætatis suæ ignorantia puberes se credidissent, & tanquam puberes in conspectu Ecclesiæ accessissent; ad hanc enim veluti extra ordinem contingentem speciem non est verosimile Patres Tridentinos intendere voluisse, eandemque decreto suo comprehendere, & conjugium illud subsequente copula confirmatum irritum declarare. Cæterùm ego non dubito in proposita quæstione, quia, si post celebrata sponsalia copula subsequatur, etiam post Tridentinum decretum, & in iis locis in quibus Tridentina constitutio promulgata est, ac viget, sponsi ipsi arctius urgeri, atque omnibus modis adigi debeant ad matrimonium in conspectu Ecclesiæ contrahendum, ne fortè exinde gravia in rempublicam incommoda oriantur. Statim ac enim sponsi voluntate sua, dum sponsalia contraherent, in matrimonium consenserunt, statim ac deinde voluntatem ipsam non amplius in futurum suspendere secuta copula demonstrarunt, cum perfectus undecumque videatur consensus illorum, sine ulla sunt excusatione, si prætextu non observata solemnitate ecclesiasticæ voluntatem suam non nisi per dolum & fraudem revocent; quam potius fraudem, dolumque quoquo modo purgant, si eousque gesta in conspectu Ecclesiæ rata haberent.

QUÆSTIO II.

An matrimonium, aut omissis juris solemnitatibus, aut insuper habitis juris regulis contractum, putà hodie sine præsentia Parochi, saltem habeat vim Sponsalium?

Incidimus hoc in loco in generalem disputationem de vi conventionum, acque pactorum, quorum cum sint diversa genera, si pactum in uno genere non consistit, quasi errando in aliud transire, donec sedem inveniat, nonnulli affirmant, nonnulli etiam de more Scholasticorum insinciantur. Mihi placet in primis discernere conventiones, quæ ineuntur ad rescindendas pridem contractas obligationes, à conventionibus, quæ ineuntur ad obligationem inducendam. Quoties conventio inquit ad rescindendas pridem contractas obligationes, facilius recipiendum est, ut actus si non in certa specie consistere valeat, aliam speciem induat, & pro sit ad liberandum, quia cum debitoribus lenius, ac mitius leges agunt, l. 47. ff. de obligat. & action., quamobrem acceptilatio inutilis, nisi contraria videatur mens contrahentium, vires habet facti, & ad excipiendum plurimum præderit, l. 27. §. 9. ff. de pactis, l. 8. & 19. ff. de acceptilatione, l. 5. ff. de rescind. vendit. Quando autem conventio inquit ad inducendam obligationem, mihi semper placuit illorum opinio, qui tradiderunt certam, inquit contractus speciem non facit transire in aliam, si forte in ea consistere nequeat, de qua contrahentes ab initio tractaverunt. Quidquod enim Ulpianus in l. 1. §. 4. ff. de constituta pecunia ait, eum, qui inutiliter stipulatus est, cum stipulari voluerit, non constitui sibi, de constituta expectari non posse, quoniam non animo constitutentis, sed promittentis factum sit? Quidquod idem Juriconsultus in l. 1.

§. 2. ff. de verb. obligat. tradidit, inutilem stipulationem ne naturalem quidem obligationem parere; quod idem est, ac dicere, ne in vim quidem pacti sustineri? Quidquod Celsus in l. 12. ff. de precario nullam omnino esse scripsit, seu, irritam precarii concessionem, quoties certus dies precario adjiceretur; quod idem est, ac dicere, ne in aliam quidem conventionis speciem flecti possit? Tantum ad eam regulam exceptionem admitto, quoties de eo negotio agatur, cujus formula, prout ab initio dicta est, æquivoca videtur, nec satis constat, de quo contractu ipsi senserint contrahentes. Tunc enim id præsumuntur voluisse contrahentes, quod integrè à contrahentibus expressæ formulæ consonat, ut eam naturam contractum negotium induat, quæ toti rei gestæ conveniat, uti traditur perspicue in l. 22. ff. de præscriptis verbis, in l. 1. §. 4. ff. mandati, & in §. ult. institut. eod. tit.

Utilissima est ad rem propositam generalis hæc observatio, ex qua tota controversia pendere videtur. Itaque fingamus, hodie post Concilium Tridentinum duos contrahere matrimonium per verba, ut ajunt, de presenti, Parocho non præsentem, sive nullis adstantibus, qui testimonium ferant; similiter fingamus, impubes ad contrahenda sponsalia idoneos, per verba etiam de presenti matrimonium contrahere per errorem vel juris, vel facti; denique fingamus aliam quæcumque similem speciem, in qua matrimonium consistere nequeat. Ego puto generalibus juris principiis inherendo,

do, conjugia ejus generis non jure sponsalium censerit; plurimum enim distat contractus matrimonii à contractu sponsalium; & quando multum interesse solet matrimonium contraxisse, nihil ferè interesse contraxisse sponsalia, quando etiam diversa utrobique obligatio nascitur, non facit voluntas contrahentium ab una contractus specie ad aliam deducetur. Hanc ipsam questionem Romani Juriconsulti veteres discussuerunt; in qua & Ulpianus, & Labeo, & Pomponius tradiderunt, non videri sponsalia facta, quemadmodum perspicue liquet ex l. 9. ff. de sponsal. Quando verò hic agitur non de inducenda quadam, ferendaque lege in bonum publicum, sed de interpretatione voluntatis contrahentium, memoratorum Juriconsultorum parvi non erit faciendæ doctrina, quoniam voluntatis interpretatio non tam ex auctoritate pendet, quàm ex sapientia ac consilio, cujus illi maximè compotes existimantur. Qui contra sentiunt, in medium proferunt Innocentii III. rescriptum, quod habetur in cap. ult. de desponsat. impub., ad quod ita scribit Glossographus: *Et est hic argumentum manifestum, quod si minor* (intellige impuberem, seu pupillum septennio majorem) *in contrahendo utatur verbis pertinentibus ad matrimonium contrahendum, contrahit sponsalia.* Ego sanè non adeo teneor placitis Glossographorum, ut statim ipsis subscribendum putem. Quamobrem potius apud Innocentium III. consisto, & in conspectu integri ejusdem Papæ rescripti, quale habetur in collectione 3. Decretalium cap. 2. de desponsat. impub. Desponsata fuerat quadam necdum viripotens puella cuidam viro nobili, qui subharravit eandem consensu mutuo accedente, sed nuptiis aliquantulum prorogatis. Definivit Innocentius, quo casu necdum viripotens puella haberetur, intelligi sponsalia contracta, non conjugium. Facti species longè à proposito distat. Etenim non constabat, consensum contrahentium fuisse de contrahendo matrimonio, sed

tota facti dubitatio eò redigebatur ob ambiguas contrahentium formulas, an ab initio contrahere matrimonium, an sponsalia voluissent. Quis prudens non definivisset, consensum verè in sponsalia collatum, quando expressè proponebatur, contrahentes nuptias aliquantulum prorogasse? Erat ea capiendæ interpretatio, quæ qualitate personarum, & quæ formulis ipsis aptius conveniret, ubi quædam emergeret dubitatio. Qualitas puellæ necdum viripotens, quæ idonea erat ad sponsalia, inidonea ad conjugium; formulæ illa de nuptiis aliquantulum prorogatis, suadebat, animo contrahentium non de conjugium, sed in sponsalia fuisse collatum. Aliud autem est dubitare de facto, an ab initio contracta sponsalia sint, an conjugium; aliud est disputare, utrum cum constet ab initio non sponsalia, sed conjugium in contractum fuisse deductum, si non potest valere conjugium, flectatur actus in sponsalium obligationem. Iterum objiciunt, qui contra sentiunt, rescriptum Bonifacii VIII. in cap. un. §. idem quoque de desponsat. impub. in 6. Proponitur ibidem species de impuberibus, qui per verba de presenti contrahendi conjugii voluntatem explicaverant. Definivit Bonifacius, conjugium illud irritum esse, nec convalescere ex eo uno, quod impubes ad ætatim pubertatis deinde deveniret, nisi nova in conjugium consensio accederet. Addidit autem, per dictam contrahentem, qui valuit, ut potius non sicuti agebatur, publica honestatis justitiam esse inductam, in d. & præfatus est, sponsalia illa juris interpretatione tantum fuisse sponsalia de futuro, licet verba consensum exprimentia de presenti haberent, & matrimonium contrahere intendissent contrahentes. Sanius interpretari debemus Bonifacii mentem, cujus scopus is erat, ut definiret, non illud matrimonium in sponsalium obligationem transire, sed ex eo actu nasci impedimentum ut vocant, justitiæ publicæ honestatis. Sanè hoc impedimentum ab jure publico pendet, sive ex juris publici

sanctione, non ex privato contrahentium consensu, ac propterea qualicumque esset contrahentium mens, potuit auctoritate sua Bonifacius declarare, etiam ex eo actu iustitiam publicæ honestatis emergere, hoc usus argumento: Si per impuberum sponsalia id impedimentum inducitur, etiam si sponsalia sint nulla, dummodò non sint nulla ex defectu consensus, quemadmodum statuitur in principio ejusdem capituli; potiore jure inducitur idem impedimentum, per matrimonium licet irritum ab eisdem impuberibus septennio majoribus contractum; non quasi matrimonium in sponsalia transeat, sed quasi matrimonium illud eadem vires habeat ad inducendam publicam honestatem, quas sponsalia haberent; atque hoc est, quod ibidem dicitur, *sponsalia illa juris interpretatione fuisse sponsalia de futuro: juri: interpretatione*, quoniam abs jure inducitur illud impedimentum; non interpretatione voluntatis, ex qua una obligatio sponsalium pendet; nam Bonifacius VIII. & ipse fatetur, in interpretatione voluntatis aliter se scensisse, cum scribit, *licet verba consensum exprimentia de presenti haberent, & matrimonium contrahere intenderent contrahentes*. Repones adhuc, Bonifacium VIII. locutum præcipue de impedimento publicæ honestatis potuisse à nomine *sponsalium de futuro* temperare, quoniam etiam ex uno matrimonio irritò potuisset idem impedimentum inducere. Istud est, quod ego inficior. Nam Bonifacius in proposito impedimenti publicæ honestatis eam servandam regulam præstituerat, ut & ex sponsalibus, & ex matrimonio licet irritis, impedimentum illud emergeret, dummodò sponsalia, aut matrimonium non essent irrita ex defectu consensus, dicto cap. un. in fine principii. Matrimonium ab impuberibus contractum irritum erat etiam ex defectu consensus, nam pupillorum consensus tanquam infirmior non sufficit ad conjugium, in quo plena, & per-

fecta consensus desideratur. At sponsalia ab impuberibus contracta, dummodò septennio majores sint, nunquam irrita dici possunt defectu consensus, qui utitur infirmus, jure tamen sufficiens ad eadem creditur. Prudenter igitur Bonifacius VIII., quin recederet à generalibus juris principii de eo impedimento firmatis, dixit, in ea parte conjugium illud impuberum pro sponsalibus habendum esse, id est non abire quidem in sponsalia, sed ad sponsalium similitudinem impedimentum ponere publicæ honestatis. Post hæc nemo mihi amplius opponat Scriptorum nostrorum, & Pragmaticorum contrasententium opiniones, quibus aliquot ecclesiasticorum tribunalium placita quandoquæ suffragata fuisse videntur apud Bimium consil. 62. num. 34. lib. 1. Ego enim in contrarium opponam aliorum Scriptorum, Pragmaticorumque sententias, pro quibus etiam ecclesiasticorum tribunalium placita laudantur apud Emmanuelem Sa in Aphorismo Confessoriorum verbo matrimonium n. 42., & tutius apud Lambertinum, qui deinde fuit Benedictus XIV., in notificationibus tom. 1. notificat. 46. num. 24. Quas sententias si fortè conciliare desideres, concludere poteris, non resolvii quidem in sponsalia actum illum, qui velut matrimonium consistere non potuit, sed quandam obligationem nasci ex illegitimis nuptiis certis in casibus, ubi præsertim publica suboriri scandala possent, & de sponsi alterutrius honore non lædendo ageretur; quæ quidem obligatio ex alia causa nascitur, non ex sponsalibus; quod facile deduci ex eo potest, quod aliquando arctius etiam obstringat, quam sponsalium vinculum, quemadmodum ex gr. contingeret, si puella contraheret coram eo, quem ministrum legitimum esse crederet, qui reverà non esset, & jam ab adolescente, cui nubere ritè putavit, tanquam uxor habita fuisset.

QUÆSTIO III.

An valeant sponsalia contracta inter consanguineos,
sub ea conditione, si Pontifex Maximus
dispensaverit?

AM conditionem, quam consanguinei in sponsalibus contrahendis adjiciant, si Pontifex Maximus dispensaverit, propriè esse non video sacris Canonibus improbatam, cum neque quid turpe reverà atque exitu inspecto contineat, neque legibus adversetur. In primis nihil turpe reverà atque exitu inspecto continet, cum non sit inhonestum, velle eo casu consanguineam sibi jungere, quo publica potestate, atque indulgentia permittatur; nec deinde legibus adversari quisquam censetur in eo actu, in quo dum dispensatio legis petenda proponitur, satis indicatur, leges ipsas, & Legumlatorum auctoritatem ab eo coli, & venerari. Sed hæc sufficiunt quidem, ut peccati alicujus rei non censentur, qui ita contrahunt, non tamen tanti sunt, ut sponsalibus ea ratione contractis vim tribuant; ex quibus propterea de matrimonio quidem contrahendo jam tractatum esse videatur, non tamen nata dicatur, quæ sit conditione suspensa, sponsalium obligatio. Non semel in hæc sententiam itum fuit in ecclesiasticis tribunalibus, quemadmodum testatur Riccius in praxi matrimoniali decis. 248., & quidem jure optimo. Etenim ut valeat contractus etiam sub conditione celebratus, necessarium est, contrahentes ipsos idoneos esse tempore contractus, nec sufficit tum primum idoneos fieri, quum conditio eveniat. Hujus doctrinæ fundamentum jecit Paulus Jureconsultus in l. 26. ff. de stipul. servor., qui postquam docuit, usufructum sine persona esse non posse, proptereaque servum hereditarium inutiliter

stipulari, præterea tradidit, ne sub conditione quidem factam à servo hereditario stipulationem usufructus valere, quia ex presentis vires accipit stipulatio, quamvis petio ex ea suspensa sit. Quod si hæc ipsa regula etiam in ultimis voluntatibus, quarum ceteroqui summus est favor, recipitur, nimirum non valet testamentum aut à servo factum sub conditione, si liber decedat, aut à filiofamilias conditum sub conditione, si sui juris factus moriatur, §. ult. instit. quibus non est permitt. fac. testam., l. 8. & 19. ff. quis testam. fac., frustra proponi valeat, recedi facile posse à subtilibus juris regulis in sponsalibus, quasi in negotio, quod singulari favore dignum videatur. Accedit altera non minus elegans ratio. Nimirum ea, quæ ad formam juris publici pertinent, ita sanctissimè constituta sunt, ut de illorum mutatione, licet aliquando aquis de causis auctoritate publica ista contingat, nunquam tamen in contractibus privatorum aut cogitandum sit, aut paciscendum, l. 137. §. 6. ff. de verbor. obligat., imò & aliquando conditiones illas, quæ in immutationem juris publici conferuntur, adeo abominati sunt veteres Jureconsulti (cur non ita abominari Ecclesia debeat, quæ contra jus publicum ab Ecclesia firmatum adjiciantur)? ut veluti tristes, & omni nosas rejicerent, l. 49. §. 2. & 3. ff. de legat. 2., §. 2. institut. de inutil. stipul., atque hoc est, quod agebat Ulpianus in l. 39. §. ult. ff. de legat. 1., ea, quorum dispensatio ex voluntate Principis pendet, nullo modo posse privatorum contractibus subijci. Hæc facere

potest, quod tradebat olim Paulus in l. 35. §. 1. ff. de verbor. obligat., proposita specie illius, qui sponsalia cum sorore adoptiva contraxerat; etsi enim conjugium sublata per emancipationem civili cognitione sperari commodè potuisset, tamen contra mores id statim esse admirabat. Quæ cum ita sint, quid dubitandum superest, inutilem esse eam sponsalium obligationem, in qua talis conditio adponitur, unde immutatio iuris publici aliquando futura speretur? Nemo mihi opponat generalem illam regulam, quæ docet, eventum conditionis retraheri ad tempus, quo quidquam gestum est, proindeque in proposito obtenant dispensatione Pontificia ita rem se habere, ac si consensio tempore idonei jam fuerint contrahentes. Equidem hæc regula valetet, quoties non ageretur de conditione, quæ idoneitatem afficeret contrahentium, sed ex. gr. de ea conditione, quæ rerum dominia transferrentur in eum casum, quo transferri

commodè possent, item quoties non ageretur de conditione, quæ res afficeret minimè ominosæ. At in proposito conditio illa personas ipsas minimè idoneas afficit, & ad rem mali hominis, & contra leges publicas peragendam refertur. Reverà qui sponsalia ita contraxerunt, agere ipsi in persona propria ceperunt, dum & de contrahendo matrimonio ante obtentam dispensationem consenserunt, & conditionem ipsam pacto suo abjecerunt. Hæc actiones non ab aliis fieri poterant, quam ab iis, qui tempore contractus jam idonei essent ad agendum, non etiam ab iis, qui idonei postea fierent, contra quam contingat in re in pactum deducta, quæ dari interea non potest; nam in hæc recipitur, ut eveniente conditione, quæ dari possit conditio retrahatur, quia sufficit rem posse dari eo tempore, quo danda est: quasi res patitur tantum quidquam in se geri, non ipsa agat, & contractum informet.

QUÆSTIO IV.

An valeant sponsalia ita contracta, ut Paterfamilias alicui generaliter unam ex pluribus, quas habet in potestate, filiam spondeat?

Proposita species longè admodum distat ab ea, quam tractat Alexander III. in cap. 4. de sponsalib., ubi quis filiam suam uni ex filiis L. daturum uxorem sponderat, adjecto pacto, quo si sponso designato quocumque casu contingente non nuberet, alteri filio ejusdem L. ducenda concederetur; in hoc enim iure rescriptis Alexander, subsistere quidem sponsalia respectu prioris filii, non respectu posterioris, etiam si non fuissent nuptiæ cum priore contractæ; fit enim perspicuum, per sponsalia certa cum priore filio inita subortum statim fuisse, ut vocant, im-

pedimentum publicæ honestatis, quo sponsa fratrem sponsi ducere legibus prohibetur. Longè inquam, diversum thema est sponsalium contractuum, quibus paterfamilias nullam ex pluribus, quas habet, determinatè filiam spondeat, at generaliter unam ex illis, siquidem nihil obesse videtur, quominus ista sponsalia valeant, dummodò supponamus, filiarum omnium in contractum hujusmodi consensioem sive expressam, sive tacitam accessisse; cum hodie receptum sit, non aliter sponsalia valere, quam si consentiant ii, qui matrimonium sunt contracturi. Videtur profectò illis spon-

salibus hæc adjecta conditio, ut si non una, altera ducenda tradatur; neque opponatur publicæ honestatis impedimentum, quia si ex. gr. promittens non primam ducendam concedat, sed secundam, non impedit publica honestas, secundam duci ab eo, qui nunquam sponsus extitit prima, argumento cap. 8. de sponsalib. Id videtur perspicuè tradidisse Bonifacius VIII., cum definiivit, ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis nullam oriri justitiam publicæ honestatis, cap. un. de sponsal. in 6. Ex sponsalibus ita contractis ea nascitur obligatio, ut pater unam, quam ipse maluerit, filiam ducendam exhibere teneatur, cum electio juxta generalia iuris principia ad promissorem, non ad stipulatorem pertineat, cap. 70. de regul. jur. in 6., ita tamen, ut si unica ex filiabus supersit, ea necessariò sit concedenda, argumento l. 34. §. 6. ff. de contrah. empt. Quòd si sponsus unam ex illis vel uxorem habuerit extra matrimonii causam, ceterarum sanè respectu ob superveniens adfinitas vinculum nullum effectum poterunt habere sponsalia; quoties tamen de prima agatur, ego non dubito, quin sponsus eam ducere teneatur patre postulante; sed si pater recuset, non dubito etiam, quin pater cogi non possit ad eam tradendam, utpotè qui factò sponsi iure eligendi privari nequiverit; imò nec puto, in iis Provinciis, in quibus promulgata non sunt Concilii Tridentini decreta sess. 24. de Reform. matrimon. cap. 1., incipere esse conjugium dissentiente patre celebratum illicitè quidem, sed validè in-

ter sponsum & cognitam puellam, quia nulla sponsalia certa præcesserant; imò cum pater ipse puellæ dissentiat, ita res se habet, ac si nunquam sponsalia inita fuerint, quoniam sponsalibus illis ea conditio inerat, si pater eam puellam jungi voluisset, & conditione hac deficiente sponsalium quoque vinculum omninò deficere necesse est. At verò si nulla intelligantur præcessisse sponsalia, frustra hic locum habet ea regula, quam superius in quæstione 1. præstitui, sponsalia secuta copula in matrimonium transiisse ante Tridentinum Concilium, aut etiam hodie transire in illis Provinciis, in quibus promulgatum non est Tridentinum decretum cap. 1. de Reform. matrimon. sess. 24. Fingamus nunc aliam non absimilem speciem; nimirum non aliquem unam ex pluribus filiabus suæ potestati subiectis ducendam uxorem spondere, sed potius aliquem promittere, se unam ex pluribus in eum contractum consentientibus in uxorem ducaturum, ita ut contractus ab hujusmodi promissione incipiat. Valebit quidem sub conditione contractus, in quo sanè in ipsum promittentem ab ipsis puellis consentientibus translata videtur eligendi potestas. Quamobrem si una ex istis à sponso cognita proponatur, non dubito tunc, quasi purificata electionis conditione, sponsalia in matrimonium transire potuisse olim ante Tridentinas constitutiones, aut transire etiam hodie, ubi memoratorum Tridentinum decretum non obsistet; videlicet si sermo sit de Provinciis illis, in quibus illud non fuit promulgatum.

QUÆSTIO V.

Qualis fuerit sententia Alexandri III. in cap. 16. de Sponsalibus?

Quidam post contracta sponsalia, eademque iurejurando firmata, ductus privata lege ad frugem melioris vite transire anhelabat. Consultus Alexander III. rescripsit, *tutus esse ei religione juramenti servata prius matrimonium contrahere, & postea, si elegerit, ad religionem migrare, si tamen post desponsationem capula non dignoscitur intervenisse carnalis.* Non desuerunt, qui inde occasionem arripent notandi Alexandrum, quasi de nimia, & plus æquo provecta religione, dum veritus, ne iurandum violaretur, ad contrahendum conjugum obligare voluerit eum, qui in eo ipso conjugio fidem conjugis dare propemodum fingeret, reverà non daret, utpotè statim à conjugio recessurus, & in Monasterium se recepturus. Ferre non possum malignam hanc notam in Pontificem prudentissimum, quando novi, Alexandrum perpetua & constanti sapientia polluisse, sive ante susceptum Pontificatum, cum difficillimis legationibus fungeretur apud Principes, Fridericum Imperatorem, & Willielmum Sicilia Regem, sive post susceptum Pontificatum, cum inter salebrosa schismata summa prudentia versatus est, usque ad conciliandam publicam & pacem, & securitatem. Blanda nimis verba sunt eorum, qui illud rescriptum notaverunt, & ad iis edita, qui rem propositam tantum in cortice intuiti visi sunt, non intimam rescribentis sententiam consideravisse, eove minus adjuncta illius temporis, ad quæ sanè rescriptum exigendum est, investigasse; quæ omnia ubi nos perpenderit, facile iudicabimus, æquissimam fuisse rationem Alexandro, cur eam sententiam pronuntiaret. In primis sedulo animad-

vertendum est, sæculo duodecimo, & decimotertio adeo frequens in contractibus, præsertim in sponsalibus, adici consuevisse iurandum, ut vix contractus iniretur, qui non eo sacramento confirmaretur, cap. 4. 5. 9. 10. 12. 13., & passim de sponsal., cap. 3., de condit. adposit., cap. 6., qui Cler. vel vov., cap. 7. & sequentibus de iurejurand. Eam ob rem ob iurandi facilitatem, & ferè quotidianum usum contemebatur vulgò iurandi religio, cap. 10. de iurejur., ut enim ait Isidorus in can. 13. caus. 22. quæst. 1., *dum iurandi usum facimus, perjurii crimen incurramus.* Qui verò religiores videri volebant, variis prætextibus datam fidem, & iurandi vinculum fallere meditabantur, allegantes inter cætera, se velle ingredi in Monasterium, non sanè quòd serio delibèrent de professione religiosa, sed quòd nullum non lapidem moverent, ut quandam haberent perfidiæ suæ excusationem, argumento cap. 5. qui Clerici vel vov. Decebat profecto, gravissimò huic animarum periculo Pontifices Maximos occurrere, qui quiescuntque sese offerrebant occasio, nihil antiquius habebant, quam ut iurandi servandam fidem prædicarent, eò usque, ut etiam si, aut non efficax esset obligatio, qui iurandum accederet, aut ferè inutile videretur datam fidem implere, nihilominus, dummodò in implenda fide nihil turpe, aut inhonestum admitteretur, fidem implendam clamarent, quo tandem fieret, ut fideles cautius jurarent, & à perjurii abstinerent. Egregium exemplum est apud eundem Alexandrum III. in cap. 6. de iurejur. in eo, qui usuras sacris canonibus improbatas se soluturum prom-

misserat. Definitur quidem, eundem non aliàs esse cogendum, quam si interfuerit iurandum, quamquam deinde solutas usuras tamquam indebitas repetere valeat. Quid iuvat, inquires, solvere, quod statim quisquam sit recepturus, l. 55. ff. de solution. ? Juvabat tamea plurimum ex Maximorum Pontificum sententia, si non res contrahentium jurantiumque privatas, publicum reverà bonum religionis, cui ex facilitate perjuriorum non mediocre vulnus infligebatur. Hinc idem Alexander in ea materie tanquam principium à se quandoque sequendum constituerat, semper iurandum esse servandum, uno excepto casu, quo iurandi executio vergeret in dispendium salutis æternæ, cap. 8. de iurejur., imò & in proposita specie de sponsalibus iurejurando firmatis, à quibus dissensus mutuo sponsi resilire velleat, tradidit, vix in patientia id se tollerare, cap. 2. de sponsalib., quemadmodum jam superius observabam. Itaque etsi nihil aliud in medium adduceretur, jam solida ratione firmatam Alexandri III. sententiam in dicto cap. 16. agnosceremus. Esto, inutile futurum fuisse sponsæ ita duci, ut à conjugio statim dimitteretur. Esto, id inutile futurum sponso, imò minus opportunum, quòd per contractum de præsentì in conspectu Ecclesiæ serio ineundum, à vita monastica, quam meditabatur suscipiendam, distraheretur; esto præterea, id proximum videri mendacio, quando tamen reverà mendaciam non est, ubi sponsus eam voluntatem sponsæ pandit, & nihilominus sponsa postulat, fidem datam meliøre modo, quo fieri potest, impleri: em inebat super hæc publicum religionis bonum, tunc temporis plurimorum perfi dia nimis obnoxium; nec novum est, ubi gravissimæ emergunt causæ, nulla habita boni, & æqui ratione, summum jus, & subtilissimum custodiri, in quo cæteroque custodiendo quibusdam in casibus nonnihil asperum, fortè etiam minus congruum, dummodò

non turpe, aut inhonestum, admitti videtur. Cæterum & alià iuvat in proposito animadvertere: nimirum cum receptæ essent plurimæ causæ, ex quibus liceret alterutri sponso à data fide recedere, inter cæteras autem esset probatissima ingressus in religionem, ob quam & ipsum fortius matrimonii necedum consummati vinculum dissolvi traditum non ignorabant, nonnulli post datam sponsalium fidem, eamque iurejurando firmatam, prænitentiâ ducti, ut honestè recedere viderentur, sibi legitimas causas esse profitebantur, inter cæteras se religionis ingressum meditari, non sanè quòd ita sincerè meditantur, sed quòd ea ratione à se aversuros sperabant. Alterius sponsi animum, imò & prorogando tempora defatigaturos eò usque, donec sponsus alter aliud sibi conjugium quæreret, quo secuto qui monastica vitæ olim studiosissimus adparebat, & à conjugali vita alienus, statim & ipse alium sibi conjugem quæreret, & propositum monasticæ professionis non tam abjiceret, quàm se nunquam habuisse manifestis indicis declararet. Non hæc temerè dicta sunt, nec conjecturis tantummodo inniuntur; etenim rursus exemplum hujus rei perspicuum proferrò & apud eundem Alexandrum III., à cujus temporibus ita suadente recta interpretatione non recedo, in cap. 5. qui Cler. vel vov., ubi cum mulieri cuidam post sponsalia contracta sponsus semel electus displicuisset, non continentia servandæ desiderio, sed ne cogere-tur eidem sponso nubere, ipsa in manibus ejusdem eremita votum continentia elicit, quin tamen aut locum, aut vestem mutaret; proptereaque cum his tergiversationibus sponsum eo adduxisset, ut aliam sibi conjugem sociaret, & ipsa statim animi secretum prodidit, postulans, ut alias nuptias sibi inire liceret. Hæc sanè fraudes, quibus & sponso dimisso injuria fiebat, & ementii continentia voti gravis emergebat abusus, religiosique propositi contemptus, non

erant ullo modo ferenda, præsertim ubi jusjurandum sponsalibus accessisset. Quamobrem nemo non videt, in his causarum adjunctis non nisi prudentissimè stabilitum à Pontifice Maximo fuisse, eum, qui meditabatur religionem ingredi, postulante sponsa & sponsalium & jurisjurandi fidem datam impleri, teneri primum ad matrimonium contrahendum, deinde si voluerit, posse ad monasterium transire; ita enim fiebat, ut non aliter à sponsalibus resiliere, quam si reverà & seriò monachus fieri voluisset, imò & si professio non sequeretur ob datam jam conjugii fidem, illi, cui olim fidem suam jurejurando obstrinxerat, & non alii jungeretur uxori. Dicat nunc quisquam, cui satis placere non potuit Alexandri III. rescriptum, quæcumque & sponsalium & jurisjurandi obligatione solum esse, qui monasticam vitam elegit, quoniam & à matrimonii esset obligatione solutus, si matrimonium contraxisset. Ego reponam, non aliter sufficere ad solutionem contractæ obligationis monasticæ vitæ electionem, quam si cum effectu monastica professio subsequatur. At quoties prætextu monasticæ vitæ eligendæ quis à veteri sponsalium vinculo solutum se putet, ut alio se obstringat, non est à sacris canonibus ferenda hujusmodi disciplina, quæ in fide data non in melius commutanda, sed verius in frangenda, violandaque consistat. Atque, ut adhuc clarius constet, eò spectasse mentem Alexandri III. in dicto cap. 16., observo in primis, directum fuisse rescriptum ad Exoniensem in Angliâ Episcopum, ad quem alio in loco rescribens Alexander idem III. in cap. 4. de convers. conjugat. in notis adjunctis testari visus est, in Angliâ monasticam disciplinam paulò corruptam fuisse, dum scribit: *Aliquando bonis monachis vix bonum clericum facit.* Deinde observo in eod. cap. 16. dici, *sponsum privata lege ductum suspirare, ad frugem melioris vitæ transire.* Legem privatam vocavit Alexander eam, qualis sub nomi-

ne Urbani II. describitur in can. 2., caus. 19. quæst. 2., legem sanè nunquam à sacris canonibus comprobata, imò etiam manifestè improbatam in can. 2. & 3. caus. 19. quæst. 3., neque enim laudatus can. 2. caus. 19. quæst. 2. verè Urbano II. tribui potest, quemadmodum aliàs observavi in meis lucubratiombus in codice Gratiani. Erat illa lex privata adeo dubia, & incerta apud iudices ecclesiasticos, ut torum negotium arbitrio ejus dirimendum relinqueretur, qui se eadem lege duci quomodocumque profiteretur, & adeo eidem ampla facultas concederetur, ut nulla cohiberi posset auctoritate, aut iudicari, cujus legis privatæ vis magni fœbat temporibus Alexandri: tanta tunc erat Gratianeorum monumentorum auctoritas. Allegabat ergo sponsus apud Alexandrum III. legem privatam, qua se duci ad frugem melioris vitæ adfirmabat, legem, inquam, privatam, de qua nemini rationem se reddere credebatur auctoritatem, ut dixi, canonis Gratiani. Qua in re suspicio vehemens suboriri poterat, ut sponsus non seriò de amplectenda vita monastica cogitaret, sed potius sponsam fallere meditaretur, quod magis magisque conjiciebat ex illis laudatis capituli verbis, *ad frugem melioris vitæ*, quæ sanè utpotè generalia poterant quidem etiam de monastica vita intelligi, non tamen ad unam monasticam vitam necessariò referabantur, ut aliam capere non possent non incommodam interpretationem. Prosequitur Alexander; & ait, *tutus ei esse prius contrahere*; neque enim rescribit, omninò ad contrahendum teneri; sed tutius facere, quasi dicat, juxta generales juris regulas per ingressum in religionem dirimi quidem sponsalium vinculum, obligationemque dissolvi; attamen eum satis non constaret de sincero animo religionem profutendi, & potuisset suboriri suspicio, ne à sponsalium fide, & abs jurejurando ideo eò prætextu recederet, ut liber ad alias nuptias convolare, uti contigisse

no-

noverat idem Alexander in specie dicti capituli 5, qui clerici vel voventes, ad hæc suspicionem diluendam satius conducere, si primum sponsus matrimonium contrahat, deinde ad monasterium liberè pergat. Duas adjecit conditiones Pontifex Maximus. Prior est in illis verbis, *si elegerit*, quæ sanè adjectio supponit, Alexandrum in ea mente, aut saltem suspicione fuisse, qua putaret non satis firmam fuisse sponso voluntatem religiosæ emittendæ professionis. Posterior est, *si tamen post desponsationem copula non dignoscatur intervenisse carnalis*; & quidem rectè adjecta; etenim tunc temporis, quo nondum Tridentini Concilii disciplina obtinebat, receptum fuerat, quemadmodum superius tradidi, sponsalia per subsequentem copulam in matrimonium transire; nemo autem ignorat, post consummatum matri-

monium non licere conjugi invita conjugere monasterium ingredi, atque ibidem religiosam vitam inter monachos profiteri, cap. 2. & 3. de convers. conjug. Denique observo, nihil omninò fraudis admittendum fuisse ab eo sponso in conjugio contrahendo cum injuria uxoris. Puto enim, sponsum illum non primum ad Alexandrum Pontificem confugisse, quam voluntatem suam apud sponsum patefecisset, à qua liberari facilè potuisset, si consensisset. Non poterat autem conqueri sponsa, si propositi illius conscientia petisset contrahi interea conjugium post quod sponsus ad monasterium converteretur. Hanc arbitror germanam esse Alexandrini rescripti interpretationem, utpotè & temporis illius, & facti propositi adjunctis maximè consentaneam, unde facilè intelligitur, quam prudenter Pontifex idem Maximus interroganti rescriperit.

QUÆSTIO VI.

An violatio alienæ sponsæ tanquam adulterium censeatur?

Alienæ sponsæ violatio uti singulariter nomen in jure non habet, à stupro adulteriove distinctum, ita neque singularibus poenis coercetur distinctis ab iis, quibus adulterium, stuprumve damnatur. Hinc locus aperitur disputationi, an eidem adulterii potius nomen, quam stupri magis congruat, proptereaque adulterii potius, quam stupri poena censeatur indicta. Primo obtutu positum esse videtur flagitium illud, quasi medium inter utrumque; etenim si dicas, stuprum in virgine, vel vidua, id est in muliere ab omni nexu soluta committi, talis dici nequit violatio sponsæ, quando sponsa jam quodam vinculo respectu sponsi tenetur, utpotè cui jam fidem suam obstrinxit; si dicas, adulterium in nupta committi, neque talis dici propriè poterit violatio sponsæ, quan-

do hæc necdum nupta dici potest, si ve necdum fidem sponsalium olim datam implevit. Nihilominus tamen quum vel ad unum, vel ad alterum flagitium referenda est, puto violationem illam adulterii potius, quam stupri juri censeret, proptereaquod ita suadeat in primis naturalis æquitas, deinde ita constituerint veteres Romanorum leges, denique & id sacrorum canonum definitionibus magis congruere videatur.

Ut primum dicam de naturali æquitate, quæ sanè turpitudinem adulterii à turpitudine stupri secernit, & non tam constituit, adulterium stupro gravius esse, quàm diversam in adulterio ab ea, que in stupro est, speciem erimimis fugit, observo, stuprum naturæ lege damnari, quòd sit contra naturalem honestatem, minimè patientem commiseri mulierem

K 2

cum

cum eo, cum quo nulla fides conjugii intercedit; ac proinde cum quo tantum libido veluti dominatrix affectuum exercetur, non præcipua est suscipienda, educandave prolis ad familiæ propaginem cogitatio; ast in adulterio illud esse amplius turpitudinis, quo data fides violetur; unde fit, ut stuprum sit tantum contra continentiam bonum; adulterium & contra bonum continentiam, & contra justitiæ leges. Quæ cum ita sint, violationem alienæ sponsæ simplicis stupri prætergredi speciem, & in adulterii potius speciem abire credendum est, quoniam illa duplicem habet turpitudinem, primum quod sit contra bonum continentiam, deinde quod sit contra præstitam sponsalium fidem. Fortè dices, violationem nuptæ graviora inferre in rem publicam incommoda, sive quod atrocior sit in maritum, quam in sponsum injuria; sive quod per illud flagitium sanguinis jura turbentur, fiant partus suppositiones, adulterinæ stirpes inserantur alienæ familiæ, verisque heredibus hereditates intervertantur, marito sæpè hostis infensissimi sobole nefaria conjunctione procreata tanquam suam agnoscante, alente, ad successionem vocante, vel ab intestato heredem habente, quæ in incommoda metuenda non sunt, quoties sponsa necdum uxor violatur. Verùm quid si ego in contrarium opponam alia æquè gravia adversus datam sponsalium fidem incommoda? Quid si etiam dicam, pleraque, quæ in nupta violata contingunt, aut contingere, aut timenda esse in sponsa? In primis gravissimum est, quod in sponsa violata contingit, & quod non æquè facile contingeret in nupta; nimirum sponsa cum extraneo congressa eò facilius incipit violandæ fidei assuescere, quò remissior est sponsalibus quidem erga sponsum conciliata, nondum autem conjugio firmata, necessitudo, ac benevolentia; imò & exinde verendum maxime erit, ne sponsa post conjugium ei adharere turpiter pergat, quem præferre sponso

non erubuit. Secundò pleraque incommoda, quæ in nupta contingunt, æquis fide sua securum quemquam faciat, ne contingant in sponsa? Solet non diuturnum fluere tempus inter sponsalia, & conjugium. Nonne igitur facile, & supponi partus poterit, & familia turbari, & adulterini heredes præsumi obrudi, & ipsa, si quæ fortè sint, primogeniorum jura ad spurios legitimis postea editis exclusis transmitti? Sed esto: sint illa omnia incommoda in violatione nuptæ singularia. Quid inde? Demonstrabitur quidem, violationem nuptæ majorem in se turpitudinem præferre, quam violentam sponsæ, non verò violatio sponsæ à nota adulterii vindicabitur. Nonne in una adulterii specie, sicut in aliis quibuscumque scelerum speciebus evenit, sunt adulteria quædam aliis quibusdam adulteriis graviora? Finge nuptam, aut dissociato ante consummationem, ut ajunt, conjugio ob religiosam mariti professionem, aut dissociato conjugio ob privatum continentiam bonum, aut sterilitem, aut eam, quæ ob ingravescentem ætatem nullam amplius spem habeat liberorum. Num adulterium ab ea perperatum adulterium esse desinet, quod ea omnia designata improba adulterii consecraria locum non sint habitura? Violatio fidei olim data præcipua causa est, ex qua adulterium dicitur; qui ergo voluerit à crimine adulterii corruptam sponsam liberare, doceat primum necesse est, fidem in sponsalibus nullam præstari. Fortè iterum dices, sponsalium fidem non esse adeo validam, quam sit fides conjugii, quasi illa facilius, quam isthæc rescindi possit. Et id ego fateor. Ast quando fidei violatio adulterium dicitur, quemadmodum nullum adulterium est, quoties non violetur fides, ita concludi tantum poterit, gravius esse adulterium, ubi validior; minus grave, ubi minus valida fides violatur; semper tamen quamcumque violationem fidei verum adulterium esse. Quid, amabo, aliud responderent, qui contra opinantur, si ego simili

Il argumento demonstrarem, adulterium tantum committi in nupta recentioribus sæculis, non verò commissum fuisse ætate illa, aut apud illas gentes, quibus divortia conjugum permittebantur, ac dicerem: firmissimum hodie conjugium est, quam esset olim; ergo hodie violatio nuptæ adulterium erit, non erat olim? Damnantur ipsi mores illorum, qui conjugii fidem sine causa dirimerent, licet leges publicæ in dirimentes non animadvertent. Damno & ego eos, qui fidem sponsalium sine causa dissolvunt, licet leges publicæ in dissolventes non animadvertant. Fortè denique dices, per sola sponsalia nondum factam esse corporum potestatem, & sponsam quasi suæ adhuc potestatis in se delinquere, non in sponsum, unde & adulterium dictum quasi ad personam alterius accessionem; imò & ex eadem ratione adulterii non damari sponsam, si neglecto sponso alteri nubat, licet fidem sponso datam etiam tum violet. Neminem, ut arbitror, movebit argumentum à nominis derivatione petitum; etenim nominis derivatio deduci solet ex eo, quod plerumque contingit, non ex eo, quod si locum non habeat, statim tale non habeatur; sic ut exemplum tradam, furtum & manifestum, & non manifestum dicimus, quamquam, ut ajebat Paulus ex sententia Labeonis in l. 1. ff. de furtis, furtum à furo & nigro dicitur, quod clam, & obscuro fiat, & plerumque nocte. Addere possem, etiam sponsam quoquo modo alterius dici, quod alteri jam fidem suam obstrinxerit. Fateor quidem, in sponsalibus nondum factam corporum potestatem. Adhuc probandum erit; hanc factam potestatem requiri, ut adulterium dicatur. Proposuerat Prætor edictum de servo alieno corrupto, l. 1. ff. de servo corrupto; cumque quis corrupisset servum hereditarium, quæsitum fuit apud Ulpianum in l. 13. §. 1. eod. tit., an ea actione teneretur, quasi servum corrupisset, qui nondum esset in heredis dominium, potestatemque translatus; id ni-

hilominus affirmavit Jureconsultus. Ex quo colligo, sæpè etiam alienum dici id, quod quis proxime futurum sperat, ut nanciscatur. Cur non eadem ratione adulterii accusabitur sponsa à sponso, qui jam certum jus, seu magnam spem matrimonii ob datam sponsalium fidem in sponsam quæsitivè præterea fateor sponsam alteri nubentem in adulterium minime incidere, licet eo ipso datam sponsalium fidem fallat. At longè diversa est ratio matrimonii cum aliena sponsa contracti, & sponsæ extra causam matrimonii violatæ. Dum alteri nubit aliena sponsa, non tam datam fidem violat, quam rescindit, & novam fidem priorè firmiore marito præstat, quo fit, ut data sponsalium fides ipso resolvatur, cum in eum casum deveniat, quo subsistere amplius nequeat. At cum sponsa aliena extra causam matrimonii corrumpitur, integra adhuc manente fide sponsalium, in ipsam adhuc consistentem fidem delinquitur, quod propriè adulterium est. Exemplum ferè simile proferri potest in eo, qui rem venditam uni, nondum traditione facta, alteri vendit, & dat. Furtum sane non committit secundus emptor, cum in re non aliena seu primi emptoris contrahat, sed in re tantum primo emptori promissa, & dominium adquirat legitimo titulo, qualis est ritulus emptiois. At si rem alteri promissam furto per dolum subtrahat, furtum non solum admissum censetur adversus venditorem, sed etiam adversus emptorem, unde emptor actionem furti sibi cedi à venditore rectè postulat, ut furtum conveniat, l. 14. princip. ff. de furtis, l. 31. ff. de actione empti. Spectant hæc naturalem æquitatem. At si quæstio exigatur ad veteres Romanorum leges, clarè exinde constabit, adulterium in proposito admitti. Non istud expressè constitutum fuerat in lege Julia de adulteris coercendis; eamque ob rem iniri disputatio potuisset ab Interpretibus legis, an sponsæ violatio

veniret nomine adulterii à lege Julia dam-
nati. Primum id perspicuè tradidit Imper-
ator Alexander Severus in l. 7. cõd. ad
leg. Jul. de adulter. his verbis: *Propter
violatam virginem adultam, qui postea mari-
tus esse cepit, accusator justus non est, &
ideo jure mariti crimen exercere non potest,
nisi puella violata sponsa ejus fuerat.* Post
hæc rescriptum, Jureconsulti non am-
plius dubitarunt, violationem sponsæ
adulterii jure censerii. Quamobrem Ul-
pianus in l. 13. §. 3. ff. eod. tit. scribit:
*Divi Severus, & Antoninus rescripserunt, etiam
in sponsa hoc idem vindicandum; quia neque
matrimonium qualecumque, nec spem mari-
monii violare permittitur.* Deinde in §. 8. si
minor duodecim annis in domum deducta adul-
terium commiserit, mox apud eum atatem ex-
cesserit, capereque esse uxor, non poterit ju-
rè viri accusari ex eo adulterio, quod ante
atatem nupta commisit, sed vel quasi spon-
sa poterit accusari ex rescripto Divi Severi,
quod suprâ relatum est. Ad hujus §. inter-
pretationem duæ species proponi possent.
Prima est, quam ego adfingo, ductam
fuisse puellam minorem duodecim an-
nis, quæcum tamen sponsalia præcesser-
ant. Irritum erat matrimonium causa
ætatis, sed non irrita erant sponsalia, quæ
præcesserant. Si ergo Ulpianus ait, eam
puellam violatam accusari de adulterio
posse tanquam sponsam, ex rescripto
Alexandri; quid dubitationis amplius su-
perest in præsentia, ut concludatur, ve-
rum in ea specie adulterium admissum
censeri? Altera species est, quæ ab iis
fingitur, qui putant, matrimonium ir-
ritum jure sponsalium sustineri, ex præ-
sumpta contrahentium voluntate. Id in
præsentia ita opinantibus concedatur.
Quid inde? Si adulterium dicitur admis-
sum contra sponsalia præsumpta, non-
ne idipsam potius dicitur in data expressè
sponsalium fide, ne aliàs plus opere-
tur præsumptio, quam rei veritas? Istud
ipsam legibus suis Longobardi definiti-
verunt. Nam in lib. 2. leg. Longobard.
tit. 1. leg. 2. ita habetur: *Si dixerit spon-
sus de sponsa sua, postquam eam sponsave-*

*rit, quod adulterata sit, liceat eam parentibus
purificare. . . & si parentes. . . mundare non
potuerint, tunc sponsus recipiat res suas, quas
dederit, & illa patiatur penam adulterii, si-
cut in hoc edicto scriptum est.* Item in lib. 1.
earundem legum tit. 3. l. leg. 14. de rap-
tore alienæ sponsæ, quasi de adultero
sententia fertur, ibi: *Raptor verò adu-
lterii criminis reus censetur.* Sunt istæ pers-
picuæ juris definitiones, juxta quas etiam
Glossographi veteres ad laudatas juris Ro-
mani leges similiter scribere non dubi-
tarunt, imò nec dubitarunt cultiores Ro-
mani juris Interpretes, inter quos mè-
rito laudo Cujacium in lib. 6. observat,
cap. 16. Non adeo pressè ista persequer-
er, si compertum mihi non fuisset, Joan-
nem Voetum ad tit. 5. lib. 48. Pandec-
tarum num. 9. in contrarium ivisse opi-
nionem, & in hanc plures ex recentioribus
adtraxisse. Ait in primis Voetus
adulterium tantum in matrefamilias, &
nupta committi, qualis sponsa dici ne-
quit, l. 13. §. 6., cui jungi potest lex 6.
§. 1. ff. ad leg. Jul. de adulter., & lex 22 §.
ff. de verb. signif. Secundo ait, verum
esse in nonnullis negotiis sponsam uxori
in jure æquiparari, non tamen in om-
nibus, nec propterea in proposita spe-
cie, in qua de sanctione pœnali agitur,
cujus interpretatio non est facile exten-
denda, l. penult. ff. de pœnis, Adjicit,
tertiò, tradidisse, Papinianum in l. 11.
§. 7. ff. ad leg. Jul. de adulter., novam
rem instituere eum, qui velit adulterii
eam sponsam accusare, quæ alteri nup-
sit, ex quo concludit, Papinianum mi-
ratum fuisse, quòd quis crederet, ex so-
la violatione fidei sponsalium, adulterium
dici. Denique accedens ad interpretationem
tùm rescripti Alexandri Severi, tùm
responsorum Ulpiani, à me superiùs lau-
datorum, tradidit, in iis legum moun-
tamenti damnari sponsæ factum, non ta-
men veluti adulterium, sed veluti stig-
num, quod etiam si adulterium diceretur,
adulterii nomen latissimè sumi, prout
& stupro convenit, quoniam lex Julia
nomina stupri, & adulterii promiscuè
usus-

usurpavit, l. 6. §. 1. ff. ad leg. Jul. de
adulter., ac tandem rescriptum Alexan-
dri in l. 7. cod. hoc tit. non ad accu-
sationem adulterii pertinere, sed ad priv-
atam injuriæ vindictam, quam sponso
concedi causa injuriæ in sponsam illatæ,
traditur in l. 15. §. 24., l. 18. §.
penult. & ult. ff. de injuriis. Cætera non
memoro in contrarium prodita argumen-
ta, utpotè quæ jam ex iis, quæ superiùs
disputata sunt, satis arbitrator con-
fectum iri.

Quod primo loco dicitur, adu-
terium tantum in matrefamilias, ac nup-
ta committi, sicuti stuprum in virgi-
ne, vel vidua, id verum est juxta leg. 6.
§. 1. ff. ad leg. Jul. de adulter., &
leg. 22 §. ff. de verb. signif., seu juxta
sententiam Papiniani, & Triphonini. Ro-
go autem eos, qui his monumentis utun-
tur, ut observent, Papinianum æquè,
ac Triphonium cœvos Jureconsultos
scripsisse ante rescriptum Alexandri Se-
veri, argumento l. ult. ff. de jure fisci,
quo rescripto si quæ subesse in hac re
dubitatio apud Jureconsultos potuit, fuit
omniò sublata. Quamobrem frustrâ alle-
gantur horum Jureconsultorum respon-
sa, postquam aliud recentioribus Prin-
cipum constitutionibus quidquam defini-
tum adparet. At neque eò abundum
puto, ut concludam, laudatis Jurecon-
sultis aliud visum fuisse. Nam quando
Triphonius tradidit, in matrefamilias
adulterium admitti, rectè addidit *aliena
secus* & in vidua admitti credendum es-
set, quod & hæc matrefamilias à Papi-
niano appelletur in l. 10. ff. ad leg. Jul.
de adulter. Quidni igitur quando Papi-
nians ait, in virgine stuprum, non adu-
terium admitti, & ego subaudiam vir-
ginem non omniò alienam, sive solu-
tam ab omni vinculo etiam sponsalium?
Addo; Papinianum in dicta l. 6. §. 1. def-
inivisse & stuprum, & adulterium jux-
ta generales regulas; & quando de spon-
sa ne verbum quidem adjecit, visus est
non sponsam ab adulterii crimine im-
mune facere, sed de ea nullam ins-

tuisse quæstionem, de more illorum,
qui dum prima quadam principia, seu
definitiones tradunt, abstinere à dispu-
tationibus quarundam controversiarum,
quæ paulò sint difficiliore, minusque
expeditæ. Quòd si loquar de sententia
Triphonini in dicta l. 22 §., ad id mi-
nimè pertinet Jureconsulti responsum,
totum in illud collatum, ut investiga-
ret, an qui animum tantum haberet ma-
trefamilias violandi, non reverà vio-
laret, dicendus esset adulterii reus. Quod
spectat legem 13. §. 6. ff. ad leg. Jul. de
adul., nihil aliud ibidem traditum video
ab Ulpiano, quam non posse nuptam ac-
cusari de adulterio, quod ante celebra-
tas nuptias commisit; ante nuptias, in-
quam, nimirum ante datam quancum-
que nuptiarum fidem seu de præsentii,
seu de futuro; ita enim interpretari quis-
què Ulpianum debet, ne sibi met ad-
versari Jureconsultus videatur in eadem
lege, in cujus §. 4. & 8. statuit, adu-
terium etiam à sponsa admissum æquè ac
admissum à nupta vindicari.

Quod secundo loco dicitur, non in
omnibus causis sponsam uxori æquipara-
ri, eove minus in pœnalibus, admitti
sanè non potest in proposita specie, in
qua perspicuam legem habemus, non legem
extendendo interpretamur, sed legis
ipsius expressa verba proponimus. Et
quando liquidò id constat ex laudato
Alexandri Severi rescripto, quid amplius
dici in contrarium potest? Sed & ad-
huc adjiciendum puto, etiam quando-
quæ evenire, ut leges pœnales ab ex-
pressis ad non expressos casus extendan-
tur; quando nimirum licèt verba legis
expressa non sint, ad eos tamen vide-
tur legis sententia pertinere. Cùm enim
singulos casus nequeat lex aperte exprimi-
mere, bona occasio est, ait Ulpianus
in l. 13. ff. de legib., cætera, quæ ten-
dunt ad eandem utilitatem, vel interpre-
tatione, vel certè jurisdictione suppleri.
Neque desunt in hoc ipso proposito si-
milia argumenta. Lex Pompeja de parricidii
pœnam tulerat in eum, qui occi-

disset uxorem. De sponsa nihil dictum; ad ad sponsam lex Pompeja & ipsa poenalis protracta est. Ita Marcianus in l. 5. ff. ad leg. Pomp. de parricid. *sed & noverca, & sponsa persone omisso sunt, sententia tamen legis continentur.* Erat quoque generalis juris disciplina, qua maritus poterat injuriam in uxorem illatam in judicio persequi. Attamen eam disciplinam utur poenalem non dubitavit Ulpianus ad sponsam extendere in l. 13. §. 24. ff. de injur. iniquens: *Sponsam quoque ad injuriarum actionem admittendam puto.* Notatu sanè dignum est verbum illud *puto*, quod indicat, Ulpianum lege scripta destitit, & in eo se merum legis interpretem agere.

Quod tertio loco proponitur ex Papiniano in l. 11. §. 7. ff. ad leg. Jul. de adulter., ex iis, quæ hucusque disputata sunt, nihil negotii facessit. Nam in primis etiam si Papinianus propositam quæstionem tractasset, ejus auctoritas insuper habenda videretur, utpotè qui respondebat ante rescriptum Alexandri Severi. Deinde tantum abest, ut Papinianus in contrariam iverit opinionem, quin potius admisisse videatur, in violatione alienæ sponsæ committi adulterium. Propositum fuerat apud Papinianum, an jure mariti posset accusare vir eam feminam; quæ quum ei desponsata fuisset, alii in matrimonio à patre fuisset tradita. Respondit Jureconsultus, rem novam propositum iri ab accusatore, qui adulterii crimen objicere desideraret; quia sanè longè distat conjugii contractus à violatione facta extra causam conjugii, quem admodum ego superius adnotabam; at in terea suppositus, rem novam non proponi in ea specie, qua non de matrimonio; sed de turpi conjunctione post inita sponsalia ageretur. Quis sanè nisi hebes in proposita specie Papinianum consulisset, nisi supponeret, quandoquæ contingere, ut aliquibus probaretur; accusationem adulterii institui factis sponsalibus posse?

Restat igitur, ut tota disputatio exigatur ad explicationem rescripti Alexan-

dri Severi in l. 7. cod. ad leg. Jul. de adulter., quod recensuit Ulpianus in l. 13. §. 3. & 8. ff. eod. tit. Ait Voetus, improbatam fuisse Alexandri rescripto, damnatamque violationem sponsæ; non verò tanquam adulterium habitam fuisse, item actionem, quæ exinde competit sponso, non aliam actionem esse, quam injuriarum. Dissonant hæc à sententia Alexandri in dicta l. 7., dissonant præterea à mente Ulpiani in dicta l. 13. Nùm erat opus peculiari rescripto Alexandri, ut declararetur, turpe flagitium esse, quod ab aliena sponsa admitteretur? Num opus erat argumentis Ulpiani, qui postquam tradidit, in sponsa illud vindicandum ex rescripto Severi, subjunxit: *Quia neque matrimonium qualescumque, nec spem matrimonii violare permittitur?* Quòd si ad privatam injuriæ vindictam à sponso sumendam pertinet Imperatoris rescriptum, cur Ulpianus in l. 13. §. 24. ff. de injur. adeo castigare scripsit, se *putare*, sponsum ad injuriarum actionem admittendum? In conspectu Severiani rescripti, quod profectò Ulpianum non latebat, potuisset sanè ipse id tutius adfirmare; imò & rescriptum ipsum laudando, uti laudavit in dicta l. 13., rem tanquam indubiam, & certam omnino proponere. Ut propius accedam ad rescriptum Severi, dicitur ibidem, ob violatam sponsum sponsum accusatorem justum esse, & ideo jure mariti crimen exercere posse. Verba illa *jure mariti* rescriptum intelligendum esse de vero propriè dicto adulterio, non de stupro, in quo nulla admittitur jure mariti accusatio, aperte demonstrant. Verba illa *justi accusatoris*, item *criminis exercendi*, ad exercendam actionem injuriarum minimè referuntur; nam qui injuriam persequitur sive suam, sive alienam, is agere dicitur, persequi in judicio privatum delictum, non accusare, aut crimen exercere. Qui aliter interpretantur, hallucinati sunt ex subsequentibus rescripti verbis, in quibus ait Severus, violatam puellam nec

nup-

nuptam, nec sponsam posse injurias suas persequi. Non quidem inde colligendum est, de privata actione injuriarum in toto rescripto factam fuisse mentionem; sed tantum ducendum, puellam nec sponsam violatam posse in judicio agere, sive accusando de vi, & stupro, sive privatam actionem proponendo injuriarum; duplex enim jus puellæ competebar, & publicum in accusatione criminis, & privatum injuriam persequendo; quodecumque autem jus appellavit rectè Severus persecutionem injuriarum, quod injuria nomine veniat quodcumque non jure fit, l. 1. ff. de injur., & quando agebat de puella in judicio actura, modestius injuriæ nomen usurpavit, quòd magis deceret, puellam in libelo postulantem eo nomine uti, quam turpissimo stupri vocabulo. Rogo nunc, qui contra sentiunt, ut clarior Alexandri sententiam pandant. Nùm ponenda species de puella sponsa vi pressa, ac violata, nùm de puella consentiente? Si fingunt puellam consentisse, quomodo coherebunt cum prioribus sequentia verba de non sponsa concepta, quæ admittit ad persequendam illatam injuriam; quando ipsa in se consensione sua potius injuriam intulit? Si fingant, puellam sponsam vim passam à violatore fuisse, nescio quomodo se gerent in interpretando Ulpiani responso in dicta l. 13. §. 8., in quo dicitur ex rescripto Alexandri, non violatorem sponsæ, sed sponsam ipsam jure viri accusari, quæ sanè non accusaretur, nisi rea, ac proinde consentiens extitisset. Nùm Voeto, ejusque adseclis patuit Alexandri sententia, eademque latuit Ulpianum? Quòd si puella vim passa, & post sponsalia violata, datur sponso contra violatorem actio injuriarum, quòd injuria facta sponsæ in sponsi contumeliam vergat, quid erit concedendum sponso, ubi sponsa in flagitium consenserit? Sponsa tunc etiam ipsa injuriam intulit in sponsum; & quando hæc injuria similis ei est, quam nupta infert in maritum, danda erit sponso eadem, quæ

marito, accusandi potestas. Aptius ego dixerim, Severi rescriptum ad utrumque casum pertinere, sive sponsa vim passa fuerit, sive consenserit, accusatione jure viri dirigenda in violatorem, si vim intulerit, dirigenda etiam in sponsam, si ista consenserit. Nunc accedo propius ad Ulpianum, qui Severi rescriptum explicavit in dicta lege 13. Ait ille in §. 3., in sponsa hoc idem vindicandum. Quid est hoc idem, nisi quod in præcedente §. dixerat? ibi: *sed in ea uxore potest maritus adulterium vindicare, quæ vulgaria fuerit, quamvis si vidua esset, impune in ea stuprum committeretur.* Qui in §. 2. dixit, *adulterium vindicandum*, dixit in §. 3. *hoc idem vindicandum.* Quid aliud ergo vindicandum, quam adulterium? Nùm dices, adulteri nomine aliquando stuprum venire? l. 6. §. 1. ff. eod. Id quandoquæ contingere fateor: ibidem Ulpianum promiscuè iis nominibus usum, nego; quando Ulpianus in ea lege quæstiones de stupro à quæstionibus de adulterio sejungit neque in ea re accuratè se gessisset, uti Jureconsultum decebat, si non attendisset ad verborum proprietatem. In §. 2. præcedente stuprum aperte ab adulterio distinguit. In §. 4. subsequente distinguit accusationem jure mariti, ab accusatione jure extranei; quod & in §§. subsequentibus prosequitur. Nùm in uno §. 3. stuprum, & adulterium confudisse censetur? Quorsum verò illa adjecta ratio quia *neque matrimonium qualescumque, nec spem matrimonii violare permittitur?* Neque enim ista simplici stupro congruit, sed potius adulterio, quando non ob istam, sed ob aliam causam turpe stuprum est. At in conspectu hujus Ulpianæ doctrinæ, ad quam adfertur rescriptum Severi, quis dicere poterit, aut conjicere, rescriptum idem pertinere ad privatam actionem injuriarum? Si ita esset, non aliam actionem, quam privatam injuriarum concedendam esse marito post violatam uxorem, dicendum foret, quia hoc idem ait Ulpianus vindicandum in sponsa, quod in uxore potest maritus vindicare. Nil

hil post hæc de §. 8. subjiçio, in quo & de jure viri expressè agitur, & nomen adulterii occurrit, quod propriè in toto contextu usurpatur, non latiore significatione, ut stuprum in specie designet, in quo denique nomen accusatio- nis exprimitur, ad significandam privam injuriæ persecutionem minus accom- modatum.

Ista profectò sufficerent ad univer- sam controversiam dirimendam. Malo tamen adhuc quædam ex juris ecclesiasti- ci disciplinæ subjicere, ut liqueat, juxta easdem regulas, canonum etiam sacrorum sententias editas fuisse. Rem altissimè re- peto, atque ipsa sacrarum litterarum testimonii profero. In cap. 22. Deute- ronomii capitale fuit adulterii crimen cum nupta admissum, pecuniaria verò pena coercitum stuprum admissum cum puel- la, quæ sponsam non haberet. Interea autem definitum fuit, ut capitalis esset pena adversus eum, qui sponsam vio- lavisset, imò & adversus sponsam crimi- ni consentientem; ex quo liquet, cri- men illud potius jure adulterii, quam stupri habitum fuisse. Vetusti Ecclesiæ Patres optinè gnari, adulterium prop- riè dici, quod adversus datam fidem ad- mitteretur, non dubitaverunt eos adul- teros appellare, qui continentiam Deo devotam violavissent; quamquam Au- gustinus rem hanc non adeo subtiliter investigans non adulteros appellare vo- luerit, ne conjugia post simplex, ut ajunt, votum contracta dissolveret, can. 41. caus. 27. quæst. 1. Adulteros appellaverunt Patres Carthaginensis Con- cilli, Cyprianus, & Innocentius I. in can. 1. 4. & 10. caus. 27. quæst. 1., necnon Hieronymus in canone 9., junc- to can. 5. dist. 27. Hac eadem signi- ficatione Christiani Imperatores aliquan- do adulteria dixerunt ea conjugia, quæ Christiani cum Judæis inirent, propte- reaque eadem conjugia, fidem semel Christo in baptisate datam inquinan- di occasionem præberent, l. 6. cod. de Judæis. Equidem fateor, hæc adulte-

ria impropiè dici, & non nisi per quæ- dam symbola; ex quo tamen symbola ex similitudine derivantur, deduci faci- lè potest, mentem Patrum fuisse eam, ut quamcumque violationem fidei con- jugalis adulterium crederent, quando ideo adulteras voto obstrictas puellas fornicantes esse dixerunt, propterea quod contra fidem Deo datam deliquissent. Ad- huc ulterius progressa aliquando fuit Ecclesiæ Græca, quæ non dubitavit, adul- terii notare eum, qui alienam sponsam sibi conjugio sociasset, Ita lego in can. 98. Trullano: *Qui alteri desponsam mulierem, ad- huc eo vivo, cui desponsata est, in nuptiarum ducit solemnitate, adulterii crimini subjiciatur.* Nominè desponsa non uxorem intelligas, sed sponsam, si Græcum canonem vel- lis interpretari cum Interpretibus Græcis Balsamone, & Zonara in notis ad eundem canonem, quibus addere potes Græcum aliud Scholion ex Codice Amerba- chiano desumptum, & à Beveregio edi- tum in notis ad eum canonem; item addere potes Blastæm in Syntagmate Alphabetico littera T. cap. 15. Id sanè Græci receperunt, ut etiam adulter ha- beretur, qui alienam sponsam sibi con- jugio sociaret, quia apud Græcos ob- tinere cæperat, ut Sacerdotali prece spon- salibus benediceretur, quod abiit deinde in generalem disciplinam Græcorum post constitutionem Alexii Comneni, qua ha- betur in fine Codicis Justiniani. Inte- rea tamen observare juvat, si in ea sin- gulari constitutione nihil Græci dixerunt de nota inurenda adulterii in eum, qui extra causam conjugii ad alienam spon- sam accederet, supposuisse ipsos, jam veteribus legibus in violatorem inistam fuisse adulterii notam, quam ad eum extenderunt, qui alienam sponsam sibi matrimonio jungeret. Tantus honor apud Græcos sponsalibus habebatur, tantum- que jus in sponsam deferebatur. Juxta hanc disciplinam scribens Photius in No- mocanone tit. 13. cap. 5. ait, dici in le- gibus, quod adulterii accusatio non solum ob stupratam legitimum conjugem, verum etiam

ds

de instabili, atque illegitimo matrimonio, & sponsalibus, & de concubinato insinuat. Ab his regulis, ubi de sponsa violata age- retur, nullibi constat, Pontifices Maxi- mos deflexisse, imò & si ad rescriptum Innocentii III., quod extat in cap. 25. de jurejurando, respiciamus, liquebit, eundem Pontificem distinxisse violatio- nem soluta puellæ à violatione sponsæ, & licet violationem alienæ sponsæ ex- pressè non nominet adulterium, ex iis ta- men, quæ ibidem definit, pro adulte- rio habuisse videtur. Quærebatur apud ipsum, an sponsus quasi dissolutis spon- salibus, posset dimittere sponsam, quam noverit turpiter fornicatam. Distinxit In- nocentius inter eam, quæ fornicata ante sponsalia fuerat, & eam, quæ post datam sponsalium fidem. In priore spe- cie statuit, non dissoluta fuisse sponsalia, contra dissoluta intelligi in posteriore, quòd in legem conjugii peccavisset. Quid porò differ inter eum, qui committit adul- terium, & inter eum qui peccat in con- jugii legem? Multum autem ex senten- tia Innocentii distabat fornicatio ante sponsalia admissa à fornicatione admissa post sponsalia, nec propterea utraque for- nicatio sub simplicis stupri specie conti- nebatur. Progressus est Innocentius (qua in re visus fuit recepisse maxima in parte novellam constitutionem 93.

Leonis Philosophi) & regulam generalem præstituit, juxta quam quæcumque cau- sæ sufficerent ad dissociandam cohabi- tationem conjugum post conjugium ce- lebratum, eadem sufficerent ad dissol- vendum sponsalium vinculum post con- tracta sponsalia; ex quo deinde conclu- deretur, quemadmodum fornicatio ante datam fidem conjugii admissa ad disso- ciandos conjuges minimè sufficiebat, sed sufficiebat adulterium post contractum conjugium admissum; ita ad dissolven- dum sponsalium vinculum sufficere for- nicationem sponsæ post sponsalia admis- sam, non sufficere fornicationem quæ sponsalia præcessisset. Ista fornicationis post nuptias, & fornicationis post spon- salia admissæ æqualitas ad eandem propemodum stabilendam disciplinam, satis evincit ex sententia Innocentii, utrumque crimen eadem turpitudine notari, & proinde rectè adulterium dici. Itaque ut paucis singula colligam, liquet satis abundè, violationem spon- sæ alienæ tanquam adulterium habendam esse, sive quòd id in primis suadeat nat- uralis æquitas, sive quòd deinde id consti- tuerint expressè Romanæ leges, qui- bus sanè singulæ criminum species invi- cem fuere discretæ; sive quòd postre- mò id & sacrorum canonum definitio- nibus magis congruere videatur.

DISSERTATIO TERTIA DE PUBLICIS FUTURI MATRIMONII DENUNCIATIONIBUS.

NON est valde antiqua in Ec- clesia denunciationum pub- licarum ante celebratio- nem conjugii faciendarum, quas modo proclamationes, modo programmata, modo francico voca- bulo *banna* vocant, disciplina, cujus sci-

licet, ne initio quidem duodecimi sæ- culi, vestigium nullum adparet, quem- admodum deducitur ex toto Gratiani co- dice eo tempore elucubrato, in quo de eisdem alium silentium est, ut præte- ream antiquiores canonum collectiones. Tantum legitimus apud Gratianum, con-

L 2